

cipiat unum fertonem in die sancti Michaelis proximo nunc veniente aut in die statim sequente, item dimidiam marcam argenti in die sancti Martini vel die proximo tunc sequente et sic deinceps per revolutionem annorum in terminis memoratis. Cetera vero, quae agricolam de praefato manso praeter solutionem trium fertonum contingit solvere seu famulari obedientiario, quicumque pro tempore fuerit ordinatus, tam in solutionibus quam servitiis faciendis praestabit reverenter secundum modum debitum et consuetum. Post vitae vero ipsius Cunradi tempora saepius dictorum trium fertonum pensio cedet perpetuo et irrevocabiliter ad vicariam, quam praescriptus Cunradus de Boruz ob honorem ac reverentiam beati Andreae apostoli ex proposito tantae pietatis et devotionis studio ordinavit. Pensio siquidem, quae de praedicta obedientia Cozbude in terminis statutis consuevit a retroactis temporibus fratribus ministrari, in eisdem non obstantibus contractibus initis tam de manso, quam de tribus fertonibus supra dictis sicut antea de cetero integrabiliter ab obedientiario praefatae villae, excluso quolibet dubietatis scrupulo persolvetur. Ut autem praedicta ordinatio tam rationabiliter instituta et etiam deo devota piaque mente concepta inconcussa et inviolabiliter observetur, praesens scriptum sigilli nostri capituli munimine duximus roborandum. Actum et datum Misnae in capella sanctae Margaretae in capitulo nostro anno domini M°. CC°. LXIII°. III°. Kalendas Junii, indictione VI^a.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem wohl erhaltenen Siegel des Capitels an rothseidenen Schnuren.

No. 194. 1263. 17. Sept. (19. Oct.)

B. Albert vergleicht sich mit dem Probst Siffrid und bewilligt diesem für die Probstei einen Antheil von 3 Mark S. jährlich am Elbzoll.

Albertus dei gratia Misnensis episcopus universis hanc litteram inspecturis salutem et veram in domino karitatem. Ne lites seu discordiae, quae affectu sinceritatis necnon interveniente spiritu consilii sanioris amicabiliter sopiuntur, tractu temporis in posterum casibus inopinatis accedentibus iterato novis litigiis seu iurgiis suscitentur, necessitas requirit taliter extinctas et decisas scriptorum testimonio declarari. Notum igitur esse cupimus universis praesentem paginam inspecturis, quod cum inter nos et dominum Siffridum, Misnensis ecclesiae praepositum quaestio verteretur super tribus talentis seu marcis argenti, in quibus asserebat sibi ius competere nomine praepositurae, ut sibi suisque successoribus eiusdem dignitatis per singulorum annorum curricula solvi deberet de theoloneo, quod per terminos Albae ad nos dinoscitur pertinere; verum cum ad plenum non essemus instructi, an petita ex debito teneremur, quaestio praefatae petitionis aliquamdiu pendebat, ut rei veritatem plenius scrutaremur. Tandem habito consilio discretorum, maxime etiam intuentes pacis et concordiae unitatem, de bona et libera voluntate super praemissis cum domino Siffrido praeposito, remoto omni strepitu iuris seu amminiculis quibuscumque, concordavimus sub hac forma, videlicet restituendo dominum dictum praepositum nomine praepositurae Misnensis in integrum ad ius percipiendi de cetero in die apostolorum Philippi et Jacobi suosque successores tria talenta legalium denariorum ac usualis monetae, seu tres marcas de